

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

In Passionem D.N. Iesu Christi Homeliae quinquaginta sex, Theorematum
viginti octo, totidemque sermones. In Monotesseron Praeterea Eivsdem
Passionis Dominicae, iuxta Euangelistarum & historiae fidem, Elucidatio.

Conciones ad Haec Paraeneticae in praecipuis anni & Sanctorum
festiuitatibus habitae

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXVIIII

Iesus iniquè accusatur Art. & Hom. XXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47113](https://nbn-resolving.de/urn/resolver.pl?urn=urn:nbn:de:hbz:466:1-47113)

IESUS INIQÜE ACCUSATUR. Artic. XXVI.

Iesus autem stetit ante præsidem. Et ipsi non introierunt in Ioan. 18. prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha. Exiuit ergo ad eos Pilatus foras, & dixit: Quam accusationem affertis aduersus hominem hunc? Responderunt, & dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, tibi non tradidissimus eum. Dixit ergo eis Pilatus, Accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate eum. Dixerunt ergo ei Iudæi, Nobis non licet interficere quenquam, vt sermo Iesu impleretur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus. Cœperunt autem illum accusa-Lucæ 23. re, dicentes: Hunc inuenimus subiuentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum regem esse. Introiuit ergo iterum in Prætorium Pilatus, & vocauit Iesum. Ioan. 18. Iesus autem stetit ante præsidem, & interrogauit eum preses, dicens Matth. 27. ei, Tu es rex Iudæorum? Respondit Iesus, A temetipsò hoc dicas, an alij dixerunt tibi de me? Respondit Pilatus, Nunquid ego Iu-Ioan. 18. dæus sum? Gen tua, & pontifices tui tradiderunt te mihi. Quid fecisti? Respondit Iesus, Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtique decer-
tarent, vt non traderer Iudeis. Nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit itaque ei Pilatus, Ergo rex es tu? Respondit Iesus, Tu dicas, quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate audit vocem meam. Dicte ei Pilatus: Quid est veritas? Et Lucæ 23. cum hoc dixisset, iterum exiuit Pilatus ad Iudæos, & ad principes Marc. 15. sacerdotum & turbas, & dicit eis: Ego nullam inuenio causam in Ioan. 18. hoc homine. At illi inualecebant, & accusabant eum in multis, dicentes, Commouit populum, docens per vniuersam Iudeam, in-
cipiens à Galilæa usq; huc.

HOMILIA XXVI.

Iam supradictum est, tantam fuisse superstitionem quam cætitatem Iudeo-Supersticiorum, vt contaminari se putarent, intrando domum pagani, aut, vbi super & cæcitas sanguine iudicatur, non contaminari autē, si suis ipsi machinationibus id Iudeorum agerent, vt sanguis vel innoxius fundatur. Sed id ipsum nunc propterea repe-
to, vt vel cogitandi, vel percontandi detur occasio, quid hæ non auderent conscientia, quæ adeo tenebris sunt excæctæ, vt domum incircumciſi homini-
nis introire, peccatum arbitrentur: sanguinem innocentem fundere, pecca-
tum apud eos non sit. Iam deinceps vide, quomodo tenebrae eos fecerint sto-
lidos,

Stoliditas
Iudeorum
quanta.

Ioan. 18.

lidos, vincitum adducunt, atq; à se damnatum, quasi præses ad eō esse possit aut iniustus aut stupidus, vt ab illis (hoc est, à Iudeis) auditum, discussum, damnatumq; ipse citra villam interrogationem aut cognitionem causæ debeat damnare, hoc enim moluntur (astutia enim & impietas plerumq; comitatur) quādo respondent Pilato, quam accusationem adferrent sciscitanti: *Si non es et hic malefactor, non tradidissimus eum tibi.* Quasi dicerent: Non opus est, examinata atq; benè iudicata, in discussionem & iudicium reuocare. Sufficiat tibi, à nobis hunc esse traditum, examinatum atq; iudicatum: qui videlicet quam simus scrupulosi in huiusmodi tu ipse iam pridem didicisti. Scis enim nos tam esse timoratos, religiosos ac integros, vt non sit nobis familiare, quenq; tumultuarie aut necrum cognita causa, aut contra iustitiam iudicare. Verum Pilatus his verbis stomachabatur, dicens: *Accipite, &c.* Si, inquit, vobis sufficere debet quod ipsi iudicatis, perficite ergo quod coepistis, & punite illum. Nec enim ego sum vobis necessarius. Vbi viderunt Iudei Pilatum magis quam putabant oculatum, cœperunt eum accusare in tribus: quorum duo parum curabat Pilatus, tertium, quod se regem nominasset, innestigare voluit. Quod vt posset liberius Christum solum interrogavit, dicens: *Tu es rex Iudeorum?* Est hoc verum, inquit, te esse regem Iudeorum? Et Iesus interrogans: *Atem etiò hoc dixi,* inquit, &c. Si de me quod regiam ostentet ambitionem, vidisti: an alij, dic, instigant te contra me? Quasi dicat: Scio nihil huiusmodi te vidisse à me, qua ambitionis familiaria sunt. Cætera vide ex textu & in passione, postea, hoc est, in tertio libro explananda.

Accusationes quo pacto vel exhibenda, vel toleranda, vel exequenda sint.

Accusare proximum
ex charitate
quo ordine
& modo li-
ceat.
Charitatis
fraternæ in-
dicia sex.

Accusati
quando hu-
militate
se debent.

Docemur non accusare Christum in suis membris, hoc est, in proximis, nisi ex charitate & ordine ac modo quibus licet. Vis scire quando ex charitate accusas, aut quando malum de proximo dici liceat? Multa sunt charitatis fraternali indicia. Primum, si non dicis de proximo nisi quod verum est: deinde, si non exaggeras etiam, vt grandius id mali quod accusas, aestimari, atque in se est, queat, sed excusas extenuasq; potius. Tertio, si dicis ei, qui potest emendare, aut prodesse. Quartu, si delinquentis solam queris emendationem, non ignominiam. Atq; id est quo fiat emendatio, atque illius correptio secretior, benigniorq; eo magis delectaris. Quinto, si non oderis quem vis corripere. Neque enim corrigerem potes, quem oderis. Sexto, si non indignarishomini, sed compateris delinquenti, atque simul pro eodem ex compassione oras, quem corrigi desideras. Secundu docemur, dum accusamur, si non multum fama laeditur, humiliatur tacere. Plus enim audientes adficit humilis confessio, quam superba excusatio. Sunt enim qui nimium se volunt excusare, atque in omnibus se mundos ostentare. Hi sunt in quibus vix aut nunquam reperies, in quo se deliquisse confiteantur, quandoquidem in omnibus iusti volunt & ubique haberi. Tu ergo disce tolerare accusations, aut non contentiose te defendere, sed culpam agnoscere tuam. Nam ad singula se propugnare obiecta, omnia velle diluere, signum est (quod dixi) superbiam, non innocentiam. Porro, qui futilia obiectiunt, & criminantur non accusanda, aut falsa studiose obiectiunt, ijs exemplo Christi, silentio respondendum est. Nam vbi non